

ruina è turri: tot seditiones militū, tot ancipites morbi corporis: suspecta Marcelli uota, pudenda Agrippæ ablegatio, toties petita insidijs uita, incusata liberorum mortes, luctusq; non tantum orbitate tristes: adulterium filia, & consilia parricidæ palam facta: contumeliosus priuigni Neronis secessus: aliud neptis adulterium: iuncta deinde tot mala: inopia stipendij, rebellio Illyrici, seruitiorum delectus, iuuentutis penuria: pestilentia urbis, fames sitisq; Italia, destinatio expirandi: & quadridui inedia maior pars mortis in corpus recepta: iuxta hæc Variana clades, & maie statis eius fæda suggillatio, abdicatio Posthumi Agrippæ post adoptionem, desiderium post relegationē: inde suspitio in Fabium, arcanorumq; proditiōnē: hinc uxoris & Tyberij cogitationes suprema eius cura. In summa, deus ille, cælumque nescio adeptus magis an meritis, hære de hostis sui filio excessit.

Quos beatissimos dij iudicauerunt.

CAP. XLVI.

Subeunt in hac reputatione Delphica oracula, ne lut ad castigandam hoīum uanitatē à deo emissa. Duo sunt hæc: Pheidium felicissimum, qui pro patria proxime occubisset. Iterum à Gyge rege tūc amplissimo terrarum consultum, Aglaum Psophidiū esse feliciorē. Senior hic in angustiissimo Arcadia angulo paruum, sed annuis uictibus large sufficiens, prædium colebat, nunquam ex eo egressus, atq; (ut è uita genere manifestum est) minima cupidine minimum in uita mali expertus.

Quē uiuētē ut deū coli iusserūt. CAP. XLVII.

Consecratus est uiuus sentiensq; oraculi eiusdē iussu, et Iouis deorū summi astipulatu, Euthymus pyæta, semp Olympiæ uictor, & semel uictus. Patria ei Locri in Italia: ibi imaginem eius & Olympiæ alterā eadem die tactam fulmine, Callimachum, ut nihil aliud miratum uideo, deumq; iussisse sacrificari, quod et uiuo factitatum & mortuo: nihilq; adeo mirum aliud, quàm hoc placuisse dijs.

De spatij uita longissimis. CAP. XLVIII.

De spatio atq; longinquitate uita hoīum, non locorū modo situs, uerū exēpla, ac sua cuiq; fors nascēdi incertum fecere. Hesiodus qui primus aliqua de hoc prodidit, fabulose (ut reor) multa de hoīum æuo referens, cornici nouem nostras attribuit ætates, quadruplum eius ceruis, id triplicatū coruis. Et reliqua fabulosius in phœnice ac nymphis. Anacreon poeta Arganthonio Tartessorum regi cl. tribuit annos, Cyniræ Cypriorum x. annis amplius, Aegimio cc. Theopompus Epimenidi Gnosio clvij. Hellenicus quosdam in Aetolia Epiorum gētis cc. exple re. Cui astipulatur Damastes, memorans Pictoreum ex ijs præcipuum corpore uiribusq; etiā cc. uixisse. Ephorus Arcadum reges cc. annis. Alexander Cornelius, Dandonem quendam in Illyrico d. uixisse. Xenophon in periplo, maritimarum regem d. c. atque ut parce mentitus, filium eius d. cc. quæ omnia inscitia

temporum acciderūt. Annum enim alij æstate unum determinabant, & alterum hyeme: alij quadripartitis temporibus: sicut Arcades, quorū anni trimestres fuere: quidam lunæ senio, ut Aegyptij: itaq; apud eos aliqui & singula milia annorum uixisse produntur. Sed ut ad confessa transeamus, Arganthonium Geditanum lxxx. annis regnasse prope certū est: putant quadragesimo cæpisse, Masinissam lx. annis regnasse indubitatum est: Gorgiam Siculum cvij. uixisse. Q.

Fabius Maximus lxij. annis augur fuit. M. Perpenna, & nuper L. Volusius Saturninus, omnium quos in consulatu sententiam rogauerant, superstites fuere. Perpenna vij. reliquit ex ijs quos censor legerat, uixit annos xcviij. Qua in re & illud annotare succurrit, unum omnino quinquennium fuisse, quo senator nullus moretur: cum Flaccus & Albinus censes lustrum condidere usque ad proximos censes, ab anno urbis quingentesimo septuagesimonono, M. Valerius Coruinus c. annos impleuit: cuius inter primum & sextum consulatum xlvi. anni fuere. Idem sella curuli semel ac uicies sedit, quoties nemo alius. Aequauit eius uita spatium Metellus pontifex. Et ex foeminis Liuia Rutilij xcviij. annos excessit. Statilia Claudio principe ex nobili domo nonagintanouem. Terentia Ciceronis ciiij. Clodia Ofilij cxv. hæc quidem etiam enixa quindicies. Luceia mima centum annis in scena pronunciauit. Galeria Copiola Emboliaria reducta est in scenam, Cn. Pompeio, Q. Sulpitio COSS. ludis pro salute diui Augusti uotiuis, annū centesimum quartum agens: quæ producta fuerat tyrocinio à Marco Pōponio ædili plebis, C. Mario, Cn. Carbone consulibus, ante annos nonagintaunum: & à Magno Pompeio magni theatri dedicatione, annis pro miraculo reducta. Samullam quoque c. decem annis uixisse, autor est Asconius Pedianus. Minus minor Stephanionem (qui primus togatus saltare instituit) vtrisque secularibus ludis saltasse, & diui Augusti, & quos Claudius Cæsar consulatu suo quarto fecit, quando lxij. nō amplius anni interfuere, quaquā & postea diu uixit. In Tmoli montis cacumine, quod uocant Tempsin, cl. annis uiuere, Mutianus autor est. Totidem annos censum Claudij Cæsaris censura T. Fullonium Bononiensem: idque collatis censibus quos ante detulerat, uitæque argumentis (etenim id curæ principi erat) uerum apparuit.

De uarietate nascendi. CAP. XLIX.

Poscere uidetur locus ipse siderabilis sciētia sententiā. Epigenes cxxij. annos impleri negauit posse: Berosus excedi cxviij. Durat et ea ratio, quā Petosiris ac Necepsos tradiderunt, et tetartemorion appellant, à triū signorū portione, qua posse in Italie tractu cxxvi. annos uita cōtingere apparet. Negare illi quenquam xc. partium exortiuam mensuram (quod anaphoras uocant) transgredi, & has ipsas incidi occursum maleficorum siderū, aut etiam radijs eorū solisq; Rursus Aesculapij secta, quæ stata uita

b ij spatia